



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qui beneficiorum pensiones obtinere possunt. §. 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

est contra voluntatem Ecclesie talis distributio, & alienatio.

4 De Episcopis est grauis difficultas; an pensionem imponere possint, & qua ratione? Quam difficultatem explicui titulo, de cuius religionis oppositis: disput. vlt. de simonia. puncti 16, & 19. ibi enim resoluimus, secundum probabilitatem sententiam, non posse ordinari pensionem beneficio imponere, sed solum beneficiario, excepta causa pacis, & concordie.

Ex qua resolutione inferitur, idem esse dicendum de potestate delegati a latere in beneficiis, quae ipse conferre potest, vt sunt omnia non reseruata. cap. 1. de officio legati. in 6. & consequenter pensionem imponere poterit eodem modo, ac ordinarius: sic Azorius tom. 2. instituti moral. lib. 8. cap. 6. quaestio. 2. In beneficiis autem reseruatis nequaquam pensionem imponere poterit sicut neque ipse conferre. Gigas quaestio. 6. de pensionibus. num. 19. Zechus de benef. & pensionib. cap. 11. num. 5. Garcia 1. part. de benef. cap. 5. num. 285. Nuntij. alique legati, quia per se non habent potestatem conferendi beneficia, a fortiori neque poterunt pensionem illis imponere. Gigas dista quaestio. 6. num. 20. Garcia num. 286. Sed quid si eis haec facultas conferendi beneficia concedatur? Distinguit Garcia num. 291. de facultate concessa simul cum ipsa legatione, vel ab illa separatum: & affirmat, si facultas conferendi beneficia fuerit iis legatis concessa simul cum ipsa legatione, posse beneficiis pensionem imponere; quia talis facultas est ordinaria; ac proinde sicut ordinaria, regulanda est, & extendenda. At si separatim a commissione legationis haec potestas concedatur, tunc quia delegata est, restringi debet, vt non extendatur ad pensionis impositionem. Mihi tamen probabilius est, quocumque modo haec facultas concedatur, nequaquam extendi ad impositionem pensionis: sic Gigas de pensionib. quaestio. 6. numero 21. Azorius 2. part. lib. 8. cap. 6. quaestio. 3. Moucor; quia pensionis impositio sub collatione beneficiorum non comprehenditur. Ergo quantumcumque potestas conferendi beneficia extendatur, extendi non potest ad pensionis impositionem. Ordinarius autem non ex potestate conferendi beneficia pensionem imponere potest, sed quia a iure est ei specialiter concessum in causa pacis & concordie, ex cap. de caetero. de transactionibus. Quocirca admitto potestatem conferendi beneficia iis legatis in commissione concessam, esse ordinariam; eo quod eorum potestas legationis ordinaria sit, cui annexa haec potestas conferendi beneficia, eiusque qualitate tenetur, ex reg. accessorium de regul. iuris. in 6. probat text. in cap. transato. de constitut. ibi: Quia simul, & ab eodem, & sub eadem pensione vtraque data sunt, quod de vno dicitur, necesse est, vt de altero intelligatur. At nego talem potestatem ad pensionem imponendam extendi; quia impositio pensionis non est beneficiorum collatio. Quod confirmari potest ex iis, quae tradit Garcia dista 1. part. de benef. cap. 1. numero 189. vbi affirmat Nuncios Hispaniarum habentes potestatem conferendi beneficia, quae non excedunt vtilitatem 24. ducatorum de camera, non posse pensionem viliam illis imponere. At haec potestas simul cum legatione illis committitur, quod sufficiens non est, vt ad pensionis impositionem extendatur.

6 Aduerto tamen, quotiescumque ordinarius imponere pensionem potest, id ex iusta causa faciendum est, aliam nullam esse talis impositio: vt ex communi omnium sententia docet Decius cons. 437. num. 12. Flamin. Paris. de reseruat. lib. 6. q. 2. num. 156. Garcia innumeros referens, 1. part. de benef. cap. 5. num. 196. & 322. Et ratio est manifesta; quia pensionis impositio est regulariter contra ius. cap. vlt. de Ecclesiast. benef. sine dimitt. confer. Quod Episcopus nequit absque causa derogare. Quod adeo verum est, vt pensio causam excedere non debeat, sed potius illi debeat commensurari, vt aliis relatis docet Garcia num. 318. Neque credendum est Episcopo afferenti adesse causam; quia in iis, quae quis libere facere non potest, ei non creditur, sed necessario causam probare debet, ex leg. si forte. 8. in fine de castrensi peculio. Abbas in cap. diuersis saluatus. n. 3. de clericis coniugatis. Oldrad. cons. 226. Rebuff. de papae possessio. n. 107. Garcia de benef. 1. part. cap. 5. num. 326. August. Barbosa 3. part. de potest. Episc. alleg. 85. n. 12.

7 Rursus est difficultas, an Pontifex, & Episcopus in beneficiis iurispatronatus imponere pensionem possint absque consensu patroni?

Et quidem posse Pontificem de plenitudine suae potestatis nemini potest esse dubium; quia omnia beneficia, & iurispatronatus illorum Pontifici subduntur. At non est censendus Pontifex eam voluntatem habere in beneficiis iurispatronatus laicorum, nisi id clare exprimat, quia cedit in damnum Ecclesiae, quilibet huius iuris diminutio, sicut illius integra conseruatio in bonum Ecclesiae redundat: sic Couarruias pract. cap. 36. numero 10. Gigas de pensionib. quaestio. 24. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 34. in fine numero 207. Garcia, alius relatis, 1. part. de benef. cap. 5. num. 361. Azorius 2. part. instituti moral. lib. 8. c. 2. quaestio. 3. Dixi in beneficiis iurispatronatus laicorum, vt tacite inueniatur in beneficiis iurispatronatus Ecclesiasticis non esse specialem derogationem, sic colligitur ex Garcia supra; & tra-

Ferd. de Castro Sum. Mor. Part. II.

dit expressè Lessius, Azorius & Doctores, in cap. cum dilectus, de iure patronat. & ratio est; quia iurispatroni Ecclesiastici non ex fundatione, sed ex gratia Pontificis iurispatronatus obtinuerunt. Tum quia hoc iurispatronatus, comparatione iurispatronatus laicorum, est satis diminutum, siquidem non semper, sed quatuor tantum mensibus in anno exercetur; quae rationes videtur sufficere, vt illius non sit necessaria expressa mentio.

8 De Episcopo variant doctores, an illis casibus, in quibus potest pensionem imponere, extendatur eius potestas ad beneficia iurispatronatus; ita vt in illis absque consensu patroni possit pensionem imponere? Affirmat Gigas quaestio. 23. Gambatus de offic. legat. lib. 6. à numero 64. Azorius 2. part. instituti. lib. 8. cap. 8. quaestio. 2. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 34. numero 207. Ratio esse potest; quia nullo iure cauetur esse necessarium huius iurispatronatus derogationem, & casu quo necessaria sit, quod non possit Episcopus illam praestare. Et quod non videretur necessaria, sic probat. Quia patrono nullum ex tali pensionis impositione praerudicium videtur accedere, si quidem ei relinquatur libera promissio beneficii; fructus autem beneficii patrono non competunt nisi in necessitate, quae cum non imminet, non est considerabilis; & dato quod immineret, ipse praerendus esset pensionatio, vt pote qui prius in beneficio ius obtinuit. argum. leg. potior & leg. qui balneum. ff. Qui potior, in pignori. habeantur, sed concessio aliquod fieri patrono praerudicium pensionis impositione; vnde probabitur Episcopum carere potestate faciendi tale praerudicium?

9 Nihilominus existimo nequaquam absque consensu patroni, & maxime laici posse beneficio pensionem imponi ab Episcopo: sic Rebuff. in praxi. 3. part. signat. num. 28. & 48. Rochus de iure patronat. verbo honorificum quaestio. 3. & ex Parte conciliet Garcia 1. part. de benef. cap. 5. num. 359. quatenus dicit non posse imponi pensionem, quae transeat ad successorem in beneficio, quod est dicere non posse imponi pensionem beneficio, sed beneficiario. Zechus de benef. & pension. cap. 11. num. 7. ver. debet. August. Barbosa 3. part. de potest. Episcop. alleg. 69. num. 21. Moucor, quia negari non potest graue fieri praerudicium patrono grauando eius beneficium pensione, etiam si ad solam beneficiarii vitam grauatum sit; quia tali grauitamine posito beneficium, quod aliis maxime appetebatur, vix est qui illud suscipere velit. At Episcopus hoc praerudicium patrono inferre non potest. Tum quia hoc ius regulariter ex fundatione, & donatione procehit, & Episcopus vltimis voluntaribus praerudicare non potest. Tum quia hoc iurispatronatus a Pontifice est approbatus, & confirmatus, & iuri a Pontifice concessio nequit Episcopus derogare.

10 Limitat Garcia num. 360. nisi magna adesse Ecclesiae vtilitas; quia tunc potest Episcopus patrono vocato, & rennente, pensionem imponere. At ego credo raro, vel numquam adesse posse Ecclesiae necessitatem, vt non possit consensus Pontificis postulari, saltem vt pensio ad successores beneficii extendatur.

§. III.

Qui beneficiorum pensiones obtinere possunt.

- 1 Qualiter laicus incapax sit pensionis.
- 2 Non solum tempore nominationis, sed reseruatiōis clerici debet esse.
- 3 Debet pensionarius habitum clericalem deferre, si pensio 60. ducatos excedit.
- 4 Ante 14. annos nemo videtur capax Ecclesiasticae pensionis.
- 5 Illegitimus dispensatus ad clericatum, non obinde censetur ad pensionem dispensatus, vt probabilis asseritur.
- 6 Inhabilitatus per sententiam ad beneficia, non est inhabilis ad pensiones. Secus si inhabilitatus a consuetudine procedat.
- 7 Reseruatio pensionis excommunicato, aut suspensio facta nulla est.
- 8 Quid dicendum de irregulari?
- 9 Qualiter religiosus incapax sit pensionis.
- 10 Dispensatum ad beneficia censetur probabilis esse dispensatum ad pensionem.
- 11 Quid si hanc dispensationem concesserit Episcopus?

VT huic quaestio satisfaciamus, plures sunt difficultates examinandae. Prima, an laicus capax sit pensionis: Pensionem temporalem ob ministerium temporale Ecclesiae exhibitum, vel exhibendum, certum est laico concedi posse; & saepe conceditur, non ab alio nisi a Romano Pontifice, cuius est fructus beneficii a beneficio disingere, & profanos efficere. Quapropter de Ecclesiastica pensione est aliqua difficultas; an valeat si laico concedatur, qui facta concessione clericus efficitur. Ratio difficultatis ea est, quia pensio non est beneficium

beneficium, sed ius quoddam temporale separatim ab ipso beneficio, ut tradit, Giga de pensionib. quass. 18. Cælar de Grassis decif. 1. num. 8. de prebendis, Gonzalez reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 1. num. 2. & plures relati à Garcia de benef. 1. part. cap. 5. num. 7.

Cæterum omnino tenendum est inualidam esse reservationem pensionis; si pensionarius clericus non sit. Tum quia ita habet stylus curiæ. Tum quia loco beneficii assignatur, & cum obligatione recitandi officium paruum B. Mariæ. Tum quia ita declaratum est à Pio V. in sua constit. 71. & à Sixto V. in constit. edita pro habitu, & tonsura à beneficiariis, & pensionariis deferendis, quæ est huius Pontificis 31. & tradit cæterum Nauarr. conf. 63. de simonia. num. 6. Lessius lib. 2. de instit. cap. 34. num. 203. Azorius 1. part. institus. moral. lib. 8. cap. 7. quass. 3. Garcia pluribus decisionibus Rotæ comprobans 1. part. de benef. c. 5. num. 10. Talchus litt. B. concei. 56 n. 5. & 6. Vgolin. de officio Episc. cap. 50 §. 6. n. 2. Ad rationem dubitandi nego pensionem Ecclesiasticam esse ius temporale, sed dico esse ius spirituale. Tum quia in statu spirituali fundatur, qualis est clericatus. Tum quia ex constitutione Pij V. officium spirituale habet annexum.

2. Supradictam doctrinam limitat Rota in causa Papien. prioratus. Michælis de la lotio. 6. Junij 1607. coram D. Lancelloto. vt procedat in reservatione pensionis pro certa persona, secus verò cum pensio absolute referatur pro persona nominanda. Quia tunc videtur sufficere, vt persona nominanda tempore nominationis clericus sit, tamen tempore reservationis non fuerit; quia per ipsam nominationem ius ad pensionem habet, non per reservationem, tamen litteræ expediuntur sub data reservationis. Cæterum hæc limitatio non probatur Garcia de benef. 1. part. cap. 5. numero 16. neque mihi placet. Quia tempore datæ reservationis debet persona nominanda qualitates omnes habere requisitas ad pensionem. Nam edito ius non habet ad pensionem, quousque nominatio accedit, ius tamen non provenit ex nominatione, sed ex reservatione cum potestate nominandi. Nominatio autem solum est quedam conditio, quæ retrahitur ad tempus reservationis. Probatque Garcia exemplo resignationis, ad quam habilis esse debet resignatarius tempore quo resignatio fit, tamen eius consensus postea succedat, quia consensus est conditio, vt resignatio effectum sortiatur, sic in reservatione pensionis dicendum est.

3. Addunt aliqui non solum requiri, vt clericus sis tempore quo tibi pensio referatur, sed quod debeas in habitu, & tonsura clericali incidere. At hoc verum erat itane priore constitutione Sixti V. sed postea in illa constituit. 31. rigorem temperavit, vt solum pensionarius obligatus sit in habitu, & tonsura clericali incidere, si pensio excedat summam 60 ducatorum de camera, & postquam pensionem exigeret, aut percipere cepit vel per ipsum steterit, quo minus percipiat: sic Garcia 1. part. de benef. c. 5. n. 13.

4. Secunda difficultas est, quam ætatem habere debeas, cum tibi pensio Ecclesiastica referatur. Dixi Ecclesiastica, nam profana nullam ætatem requirit. Non desunt qui affirmant sufficere septennium, quia hæc ætas sufficit ad clericalem tonsuram suscipiendam, quæ est dispositio ad pensionem requisita cap. nullus, & ibi glossa verbo infanti, de temporib. ordinat. in 6. glossa penult. in cap. si eo tempore, de refer. pt. eodem lib. Neque obstat concilium Trident. sess. 23. de reformat. cap. 6. asserens, vt nullus ante 14. annum obtineat beneficium possit, Quia non videtur ad pensionem esse extendendum; si quidem pensio non est beneficium propriè, & in rigore, & contextu iuris vitanda est quoad fieri possit. Cum autem ex iure communi septennium esset sufficiens, vt constat ex dicto cap. nullus, & c. si eo tempore; & concilium solum mentionem beneficii fecerit, non est cur ad pensionem extendi debeat? & ita sentit Stephan. Gratian. tom. 3. discept. forens. cap. 397. numero 17. & seqq. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 38. n. 203. Zechus de benef. & pensionib. c. 11. num. 7. in prin. Mosconius de maiest. milit. Ecclesiast. lib. 1. par. 3. cap. 3. pag. 501. Aloysius Riccius in praxi. decif. 430. in prima edit. & resolut. 367. in 1.

Nihilominus probabilius censuo neminem ante 14. annum capacem esse pensionis, sicut neque beneficii, Moneor; primo ex stylo curiæ requirentis eas qualitates pro obtinente pensionem, ac pro obtinente beneficium, vt bene probat Nauarr. lib. 1. consil. thal. de temporib. ordinat. in priori edit. consil. 23. numero 2. & in posteriori consil. 11. numero 1. stylus autem curiæ legem constituit, & quam graui de crimine falsi. Secundo quia ita congregatio concilij declarauit, vt testatur doctores statim referendi. Tertio, quia pensio loco beneficii saltem simplicis substituitur, & subrogatum qualitates habere debet eius cuius loco subrogatur, ac proinde incapax beneficii, & pensionis incapax esse censetur. vt mutis per bar Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 28. numero 36. & ita tradit Eman. Sa. verbò beneficium, numero 30. Lessius supra relatus dicit se credere magis secundum mentem concilij esse, vt adit ætas necessaria ad beneficia, Garcia de benef. 1. part. c. 5. numero 12. August. Barbola 3. part. de potest. Episc. allegat. 60. num. 78. Neque obstat ratio con-

traria: nam esto concilium non expræsset pensionem sub nomine beneficii, illam comprehendit in supradicto textu, cum sit dispositio conciliantis in fauorem religionis, & in dignam rerum Ecclesiasticarum administrationem constituta, ac proinde extendenda, vt comprehendat pensionem, quæ pars beneficii est.

5. Tertia difficultas, an illegitimus capax sit clericalis pensionis? Ponimus dispensatum esse ad clericatum, & tali dispensatione posita affirmant plures capacem esse pensionis, abique eo quod dispensetur in illegitimitate: quia hæc irregularitas comparatione ordinis, & beneficii est, non pensionis sic Gamba. rus lib. 6. de officio legat. numero 284. Zetola in praxi Episc. par. 1. verbo ordo, quass. 4. circa finem. Gonzalez pluribus decisionibus Rotæ comprobans, gloss. 5. §. 5. à num. 24. Maiol. de irregular. lib. 1. c. 10. num. 3.

Cæterum probabilius credo illegitimum clericum, quo cum ad beneficium dispensatum non est, incapax esse pensionis, sicut & beneficii. Moneor, quia secundum stylum curiæ habitum in data, & cancellaria Pontificis, incapax beneficii, incapax est pensionis: & ita sentit Lessius lib. 12. cap. 34. numero 203. Nauarrus conf. 11. numero 2. de tempor. ordinib. & consil. de filiis presbyteror. & cons. 63. num. 5. de simonia. Sanchez de mar. lib. 7. disp. 44. num. 9. & lib. 2. in decal. cap. 28. num. 36. Garcia de benef. 1. part. cap. 5. num. 11. 9. & seqq. Zechus de benef. & pension. cap. 11. n. 7.

6. Quarta difficultas an inhabilitatus ad beneficia, sit etiam inhabilis ad pensiones? Negat Nauarrus consil. 12. de rescript. numero 15. quem sequitur Gonzalez gloss. 5. §. 5. num. 26. quia pensio non debet sub beneficio comprehendi in lege penali, & odiosa. Hoc tamen verum est cum quis per sententiam inhabilitatus est; quia in (sententis rigore interpretato) factum est, vt aliis relatis docet Garcia 1. part. de benef. cap. 5. numero 124. Suarez tom. 5. de censur. disputat. 27. sect. 1. num. 29. At si inhabilitas à constitutione procedat, credo probabilius inhabilitatum ad beneficium esse etiam ad pensionem inhabilem, ob rationem supradictam, de stylo curiæ & communi sententia, si mente incapax beneficii, esse incapax pensionis, Garcia d. c. p. 5. num. 123.

7. Ex quo fit reservationem pensionis factam excommunicato, & suspensio nullam esse, si quia ob excommunicationem, & suspensionem incapax est beneficii, ergo & pensionis: sic loquuntur de excommunicatione Tolet. in summ. lib. 2. cap. 11. Couarruias. cap. aliqua mater. 1. part. §. 7. numero 23. & seqq. Giga de pensionib. quass. 14. Suarez de censur. disputat. 3. sect. 1. num. 9. Garcia de benef. 1. part. cap. 5. num. 130. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 203. & generaliter de qualitate censuræ Azor. 1. part. instit. moral. lib. 8. cap. 7. quass. 2. eaque de causa cum à Pontifice alicui referatur pensio, apponitur clausula in reservatione, qua pensionarius à quacunque excommunicatione, suspensione, & interdicto absoluitur ad effectum supradictæ reservationis consequendum, sic Azorius s. p. 1. quod necessarium non esset si hæc censuræ non redderent incapax pensionis, sicut & beneficii.

8. Sic secundo quid dicendum sit de irregulari, an incapax sit pensionis? Et quidem si standum est ad irregularitatem, quam tradidimus loquentes de irregulari, in princ. irregularis inquam non essentia incapax beneficii, vt cuius solutio irrita sit, à fortiori neque pensionis erit incapax. At tertia communi sententia, affirmante irregularem incapax esse cuiuslibet beneficii etiam simplicis, videtur consequenter dicendum pensionis fore incapax: & ita tradit Nauarrus conf. 63. num. 5. de simonia. & consil. 44. numero 3. de homicidio, Flamin. Parisius lib. 4. de resignat. quass. 3. num. 57. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 203. Vgolinus de irregul. cap. 65. §. 1. num. 3. Zetola 1. part. praxi Episc. verbo irregular. §. 8. & verb. pensio. §. 6. Sayrus de censur. lib. 5. cap. 2. num. 22. Molina de iustit. tract. 3. disp. 98. num. 4. & sentit Rota in vna Romana pensionis, 17. Junij 1603. coram D. Molino, relata à Garcia d. cap. 5. num. 548. in fine. Cæterum quia ipemet Garcia num. 136. cum Eman. Sa. verbo homicidium, num. 20. & Suarez de censur. disp. 44. sect. 4. num. 39. affirmantiam concilij congregationem declarasse supra cap. 7. sect. 14. de reformat. homicidiam voluntarium (& à fortiori quemlibet irregularem) non esse pensionis incapax, tamen beneficii sit ea de causa sustineri potest reservatio pensionis irregulari facta. Quia in iis quæ ex iure positio pendet, iis declarationibus standum est.

9. Quinta difficultas, an religiosus incapax sit pensionis? Quia in re certum est: debet religiosus incapax esse pensionis super beneficio seculari, nisi Romani Pontificis eadem sententia accedat. Quia beneficii secularis incapax est, cap. 1. cum de benef. de prebendis, in 6. ergo & pensionis, super ipsum beneficium: sic Zetola in praxi Episc. par. 1. part. 1. verbo beneficium statim in princ. vers. 5. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 19. num. 94. Zechus de beneficiis, & pensionib. cap. 1. num. 7. Mandol. deservitura gratia. ritul. de pensionib. vers. militibus Pivolis hymis. Neque obstat beneficii curati secularis aliquando capacem esse abique dispensatione Pontificis, vt inde inferri possit capacem esse pensionis in ipso beneficio, quia de beneficio

DE
CAS
PA
II

garato providetur ob necessitatem Ecclesie, ne fideles remediis ad salutem sint destituti. Quia necessitas in reservatione pensionis non procedit sic notatur Sanchez *supra*. Quia propter solam est difficultas de pensione imposita super beneficium regulatum, inquam illius capax sit religiosus ex consensu sui superioris: ut videtur capax esse & quia est capax beneficij: ergo & pensionis. Dicendum ergo est, ex parte religiosi capacitatem adesse, ut pensio sibi referretur in beneficium regulatum rationem dictam; quia illius est beneficij capax. At quia regularis superior potestatem non habet beneficij regulati imponendi pensionem. *element. univ. de supplenda negli. pralar. & tradit ibi Bonifac. num. 2. & Archidiacon. cap. fin. num. 2. de officio ordinar. in 6. ea de causa non potest religiosus capax esse illius beneficij pensionis: sic expressit Thom. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 29. num. 9. sed numero 99. affirmat pensionem impropiam, quia non beneficium, sed ipsi beneficiario esset imposita, oportere posse ab Abbate religioso concedi. Quid enim, vetat Abbatem beneficium regulare conferre religioso, imponendo ei obligationem, ut alteri religioso, vel monasterio det partem fructuum; siquidem ille religiosus beneficiarius sub obedientia Abbatis manet, & ex eius tacta voluntate fructus beneficij expendit, & cum Abbati placeat, poterit a beneficij administratione remoueri; tametsi Lessio lib. 7. cap. 41. dub. 11. num. 94. videtur probabilius eo ipso, quod religiosus parochus constituitur, constituitur administrator ab Abbate independentem tam beneficij, quam omnium illius fructuum; ac proinde neque impropiam pensionem ei concedi posse. Quod mihi non probatur, sicut aequo Sanchez.*

10 Sexta difficultas est; an legitimus, & aliis inhabilis dispensatus ad beneficium, censetur dispensatus ad pensionem? Negare videtur Gigas *quæst. 18. & 19. Mandolus de state minori. quæst. 23. num. 2. Rebuff. tit. de dispensat. ad plura. num. 5. Mouentur quia dispensatio est strictiuris, ut multis probamus *tract. de legib. vbi de dispensat.* Ergo non debet ultra proprietatem verborum extendi. At sub proprietate verbi beneficij pensio non comprehenditur; ut in princ. huius puncti diximus. Ergo dispensatus ad beneficium, non intelligitur dispensatus ad pensionem. Deinde in dispensatione non est validum argumentum de maiori ad minus, pari vel simili, ut probat text. in cap. ult. de translat. prelat. vbi concessa facultas alicui, ut ad Ecclesiam maiorem transeat, non extenditur ad maiorem Ecclesiam, vel æqualem. Ergo dispensatio ad beneficium, tametsi maior sit, non extenditur ad pensionem. Hinc sententiam limitat Gigas *quæ. 18. in fine.* & Rebuff. *supra* quibus consentit Azor. 2. part. lib. 8. cap. 7. quæst. 6. ut non procedat in reservatione pensionis super beneficium, in quo fuit quis dispensatus; quia eo ipso censetur dispensatus ad quamcumque pensionem in illo; eo quod pensio est pars beneficij, si igitur totum beneficium retinere potest, poterit & partem.*

At mihi probabilius apparet, dispensatum absolute, ad beneficium, censeri dispensatum ad pensionem. Quia per tale dispensationem tollitur fundamentum inhabilitatis, nam inhabilitas ad pensionem fundabatur in inhabilitate ad beneficium: eo quod secundum stylum curie inhabilis ad beneficium, est inhabilis ad pensionem. Ergo sublata per dispensationem inhabilitate ad beneficium, tollitur inhabilitas ad pensionem ex consequentia: & ita tenet Azor. 2. part. instit. moral. lib. 8. cap. 7. quæst. 6. & 8. Garc. 1. part. de benef. cap. 5. num. 150. Gigas de pensio. quæst. 19. concludit si esset index, se iudicatum illegitimum dispensatum ad ordines, & beneficium capax esse Ecclesiasticæ pensionis. Conclusio intelligenda est de dispensatione ad beneficium absolute; nam si dispensatio facta esset ad vnam tantum beneficium determinatè, cum dispensatio finiat illo accepto, ut multis relatis probat Garcia *cap. 5. num. 153.* non poterit pensionem obtinere. Imo credo, nullo tale beneficium renanciet, non posse ex vi prioris dispensationis pensionem in illo habere; quia pensio non est pars beneficij, sed ius quoddam separatim a beneficio; ac proinde sub dispensatione concessa obtinendi illud beneficium, non potest comprehendere potestas obtinendi in illo pensionem: sic Garcia *1. part. de benef. cap. 5. num. 156.*

11 Sed quid si dispensationem ad beneficium absolute concesserit Episcopus, poteritne dispensatus illa facta obtinere pensionem quamcumque? Gigas *quæst. 17. de pensio. Quintana Duennas Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 6. num. 6. Zechus de pensio. cap. 1. n. 9. Azor. 2. part. instit. moral. lib. 8. cap. 7. quæst. 6. in fine.* & 8. docent sic dispensatum posse obtinere aliam pensionem præter eam, quam potest Episcopus imponere. Quia pro sola illa videtur dispensatio extendi. At mihi probabilius videtur, quamcumque pensionem sic dispensatum obtinere posse; quia per dispensationem ad beneficium absolute sublatum est fundamentum inhabilitatis ad pensionem. Hæc enim inhabilitas pensionis nascitur ex inhabilitate ad beneficium. Ergo cessante hac inhabilitate quomodocumque cesset, cessat inhabilitas ad pensionem. Neque obstat Episcopus non posse ex qualibet causa pensionem imponere, quominus dispensatus ad

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars II.

beneficium non censetur dispensare ad pensionem, quam ipse imponere non potest; quia hæc est dispensatio indirecta, & consequens priorè dispensationem: sic videtur tenere Garcia *benefic. 1. part. cap. 5. n. 159.*

S. IV.

Quæ sint beneficia, in quibus pensiones constitui possunt, & in qua quantitate.

- 1 Nunquam est censendus Pontifex gravare velle beneficia curata centum ducatorum valorem non excedentia.
- 2 Beneficia simplicia valorem 24. ducatorum non excedentia non gravat Pontifex.
- 3 Quid dicendum de canonicis non excedentibus 24. ducatorum valorem in fructibus, secus in distributionibus quotidianis, ex qua clausula censentur gravata.
- 4 Centum pro Rectore, & mille pro Episcopo non solum tempore gratia, sed semper remanere debent, ut probabilibus defendo.
- 5 Si non remaneant centum pro Rectore, & mille pro Episcopo, an sit nulla pensio impositio, vel reducenda?
- 6 Si beneficiarius intendit ab onere solvendi se excusare, quia non remanent sibi centum libera, ipsi competit onus probandi.

Neminus esse potest dubium, Pontificem posse de plenitudine sue potestatis in omnibus beneficiis curatis, siue non curatis iure magni valoris, siue exigui pensionem in ea quantitate, quæ sibi bene visa fuerit, imponere: quæ liberam habet beneficiorum administrationem. At numquam censendus est velle beneficia curata parochialia gravare, quorum valor centum ducatorum non excedit secundum veterum annuum valorem, neque Episcopalia, quorum valor non excedit summam ducatorum mille, quia ita cautur in Trident. sess. 24. cap. 15. de reform. in fin. Hæc autem centum pro parochio, & mille pro Episcopo debent manere libera ab omni onere, & obligatione; quia in sustentationem parochi, & Episcopi designantur. Alias, non parochio, & Episcopo remaneret: sic Rota *decess. 296. part. 1. divers. Leo in thesauro fori Ecclesiasticæ cap. 2. num. 13. & cap. 3. numero 26. Garcia 1. part. de benef. cap. 5. numero 176. vbi bene testatur sic declarasse sacram concilij congregationem dicto cap. 11. Item debet esse ducatorum valor iuxta regionem in qua est beneficium constitutum: sic testatur Barbosa in remission. ad dict. cap. declarasse sacram concilij congregationem Idem docet Garcia *supra* num. 37. Zechus de benef. & pensio. cap. 11. num. 6. His igitur centum pro parochio, & mille pro Episcopo liberis remanentibus, in reliqua parte pensionibus grauari possunt.*

2 Beneficia vero simplicia valorem 24. ducatorum non excedentia non solet Pontifex pensione gravare; neque canonicatus & dignitates centum non excedentes. Quia æquam est hæc tenuem summam pro alimentis beneficiarij relinquere: sic Azor. 2. part. instit. moral. lib. 8. cap. 7. quæst. 7. sine. Excedentes vero hæc summam pro parte excessus gravare solet Pontifex. Azor. d. q. 7.

3 Aliqua beneficia simplicia, ut canonicatus, & dignitates valorem 24. ducatorum non excedunt, si spectentur propriè eorum fructus, & proventus: at si spectentur proventus quotidianarum distributionum, quæ pro intercessoria in choro iis beneficiariis designata sunt, ad mille scuta accedunt: tunc ergo dubium est, an in iis beneficiis pensio imponi possit? Et videtur quod non. Quia hæc distributiones non sunt beneficij fructus, sed laboris stipendium & operis merces *cap. 1. de clerico non residente, in 6. E contra vero videmus canonicatus Hispaniæ, quorum proventus præcipui in distributionibus quotidianis consistunt, pensione grauari. Dicendum ergo est, supradicta beneficia non censeri gravata ex clausula, quæ pensionem imponit super redditus, fructus & proventus beneficij: sic Alexand. Moneta 1. part. de distrib. quæst. 7. & quæst. 14. num. 21. Garcia pluribus decisionibus Rotæ comprobans, 1. part. de benef. cap. 5. num. 386. Azor. 2. part. instit. moral. lib. 8. cap. 8. quæst. 17. Excepi, nisi ex subiecta materia, & curæ stylo aliud constaret, ut si in narratione dictum fuerit beneficij valorem 25. ducatorum non excedere in canonicibus, & hoc non obstante imponitur pensio centum, & amplius: absque dubio censenda tunc est imposita in distributionibus, ne dicamus conclusionem esse vanam. & inutilis: sic Azor. & Garcia *supra*. Ut autem tota dubitatio auferatur quoties Pontifex intendit distributiones quotidianas gravare, id exprimit hæc clausula apposita, *etiamsi in solis distributionibus, & non nisi presentibus, & diuinis officiis interuentibus dari, & per eos lucrari consueverit: sic relatio Mandolus tradit. Azor. dicit. cap. 8. quæst. 7.**

4 Circa supradicta restant examinandæ aliquot difficultates. Prima, an si successu temporis minuantur illa centum pro Rectore, & mille pro Episcopo quæ debent remanere libera pensione soluta, teneatur beneficiarius pensionem